Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26210
Copyright: Admont, Benediktinerstift

74

ri incorruptionem spei. perseverantiam. abstinentiam. et quod cor
pore non potestis mente prestate. Has enim christi divitias. et hos
verae coniunctionis querite ornatus. Mirum et apud pytago
ram naturalis scientiae lege dictante hanc sententiam inve
niri. vera ornamenta matronarum pudicitiam non vestes esse.
Viri similiter cohabitantes secundum scientiam. quasi infirmio
ri vasi muliebri impertientes honorem. Similiter dicit viros
ad imitationem provocans. quia iam super uxoribus preceperat dicens.
Considerent viri in timore dei castam vitam conversationem
secundum scientiam autem ut noverint quid desideret deus. et tri
buant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos a
coitu honorem tribuimus. Si non abstinemus. perspicuum est hono
ri contrarium esse concubitum. Ut non impediantur orationes vestrae. Et pau
lus ait. Nolite fraudare invicem. nisi forte ex consensu ad tempus, ut va
cetis orationi. Impediri ergo orationes officio coniugali commemorat.
quia quotienscumque uxori debitum reddo orare non possum. Quod si
iuxta alium apostoli sermonem sine intermissione orandum est. numquam
ergo in coniugio serviendum est. ne ab oratione cui semper insistere iu
beor ulla hora prepediar. In fide autem unanimes omnes. compati
entes. et cetera. Quia superius diversas personas conditiones et sexus
congrua sibi discretione docebat. iam nunc omnes communiter am
monet. in fidei dominicae causa. unum cor et unam animam habere.
Quia in hoc vocati estis. ut benedictionem hereditate possi
deatis. dicente videlicet iudice. Venite benedicti patris
mei percipite regnum. Post perceptio benedictio hereditatis. et illa intelli
gi qua ecclesia in futura vita perpetuo benedicet. Unde etiam
nunc spe futurorum gratulabunda canit. Exaltabo te deus meus